



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXXII. Gregorii Papae I. Ad Pantaleonem Praefectvm Africae. Vt  
Donatistae qui catholicos iterum rebaptizare tentant comprimantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

citur lima, & tamen vt aliquid exinde exeat non obtinetur.

*Mense Junio, indictione duodecima.*

## EPISTOLA XXXI.

## GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

Ne Iudæi conuersi victus inopiam patiantur.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

**H**IS quos de Iudaica perditione Redemptor noster ad se dignatur conuertere, rationabili nos oportet moderatione concurrere; ne victus, quod absit, inopiam patiantur. Ideoque tibi huius præcepti auctoritate mandamus, quatenus filiabus Iustæ ex Hebræis, id est, Iulianæ, Redemptæ, & Fortunatæ a tertiadecima succedenti indictione annis singulis solidos dare non differas, quos tuis noueris modis omnibus rationibus imputandos.

## EPISTOLA XXXII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PANTALEONEM PRÆFECTVM AFRICÆ.

Vt Donatistæ qui catholicos iterum rebaptizare tentant comprimantur.

*Gregorius Pantaleoni præfetto Africae.*

**H**ÆRETICORVM nefandissimam prauitatem, qualiter lex persequatur instantius, excellentiæ vestræ non habetur incognitum. Hi igitur, quos & fidei nostræ integritas & legum damnat districtio mundanarum, non leue peccatum est, si vestris inueniant temporibus licentiam reserpendi. In illis igitur partibus, quantum didicimus, ita Donatistarum creuit audacia, vt non solum de suis ecclesiis auctoritate pestifera eiiciant catholicæ fidei sacerdotes; sed & quos vera confessione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuunt. Valdeque miramur, si tamen ita est, vt vobis illic positus huiuscemodi liceat hominibus in prauis excedere. Primum siquidem quale de vobis iudicium hominibus relinquatis, attendite; si hi qui aliorum temporibus iusta ratione compressi sunt, vobis

adminiftrantibus viam fui excessus inueniant. Deinde perditorum animas Deum nostrum de manu vestra scitote requirere, si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligitis. Hæc enim excellentia vestra non amare suscipiat. Nam quia vos vt filios proprios diligimus, propterea hæc quæ vobis prodesse non ambigimus, indicamus. Paulum vero fratrem & coepiscopum nostrum ad nos sub omni festinatione dirigite, ne cuiquam impediendi eum aliqua occasio vel excusatio detur, vt veritatem plenius agnoscentes, qualiter tanti facinoris vltio debeat prouenire, Deo adiuuante, rationabili possimus tractatu disponere.

EPISTOLA XXXIII.  
GREGORII PAPÆ I.

AD THEODOLINDAM REGINAM LONGOBARDORVM.

De quatuor Synodis venerandis & amplectendis,  
& Constantio episcopo.

*Gregorius Theodolindæ reginæ Longobardorum.*

QVORVMDAM ad nos relatione peruenit ab aliquibus episcopis gloriam vestram vsque ad hoc scandalum contra sanctam ecclesiam fuisse perductam, vt sese a catholice vnanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos pure diligimus, tanto de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solum ea quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea quæ audierunt percipere possunt. Qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi ipsi de nobis finxerunt. Nos enim veneramur sanctas quatuor Synodos; Nicænam, in qua Arius, Constantinopolitanam, in qua Macedonius; Ephesinam primam, in qua Nestorius; Calchedonensem, in qua Eutyches atque Dioscorus damnatus est: profitentes quia quisquis aliter sapit, quam hæc quatuor Synodi, a fide veritatis alienus est. Damnamus autem quoscumque damnant, & quoscumque absoluunt absoluiimus: sub anathematis interpositione ferientes eum, qui earumdem quatuor Synodorum, maxime autem Calchedonensis, de qua quibusdam imperitis hominibus nata est dubietas & superstitionis occasio, fidei